



PROŒMIUM

Pœnitentia Sacramentum TRIBUNAL SACRUM.

Causâ innocentiae januâ, & intincli-
onis serâ obstructâ, dives in misericor-
dia Deus, qui non vult mortem pec-
catoris, sed magis ut convertatur &
vivat, collocavit in vestibulo pœniten-
tiam secundam, verum legis novæ, & necessarium
lapsis post baptismum Sacramentum, sicut non-
dum regeneratis est ipse baptismus. Multis tamen
rationibus à baptismo differre dignoscitur. Nam
præterquam quod materiâ, & formâ, quibus Sa-
cramenti essentia perficitur, longissimè dissidet;
constat certè baptismi ministrum judicem esse non
oportere; cum Ecclesia in neminem judicium ex-
erceat, qui non prius in ipsam per baptismi ja-
nuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit
Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare? Secus
est de domesticis fidei, quos Christus Dominus la-
vacro baptismi sui corporis membra semel effecit.
Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminave-
rint, non jam repetito baptismo ablui, cum id in
Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante
hoc tribunal tamquam reos sisti voluit: ut per Sa-
cerdotum sententiam non semel, sed quoties ab ad-
missis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, pos-
sent liberari. Est igitur hoc Sacramentum SA-

Tertull. 1.
de pœnit.

Concil.
Trid Sess
14. cap. 2.

S. Hilar.
In c. 16.
Matth.

CRUM quoddam TRIBUNAL, in quo tamquam REUS peccator sistitur, ipse sui ACCUSATOR, & TESTIS: cujus CAUSA sive materia est peccatum post baptismum commissum: in quo tamquam JUDEX Sacerdos residet: cuius SENTENTIA & *terrestre JUDICIUM præjudicata auctoritas est in caelis, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineat & in cælo.* Et verò justissimis de causis sacrum hoc Tribunal in Ecclesia à Christo institutum est, ut quemadmodum ad *Mare fusile* non perveniebatur, nisi per *porticum solis*, in qua (Sacra testante Scripturâ 3. Reg. 7.) erat TRIBUNAL, *lignis cedrinis à pavimento usque ad summitatem à Salomone textum, & domuncula, in qua sedebatur ad judicandum in media porticu, simili opere fabricata: ita neque ad mare fusile pœnitentiæ abluendi mundissimis aquis de fontibus Salvatoris, profluo, inquam, ex Christi vulneribus pretioso Sanguine, pervenire nulli possent, nisi quibus per porticum solis (in qua & TRIBUNAL, & in medio porticus domuncula Sacerdotalis judicii à Christo Rege pacifico erecta est) transitus paretur.* Quoniam verò tanta circa illud Sacramentale Tribunal, etiam nostrâ hac ætate, diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorẽ definitionem tradidisse, in qua demonstratis & convulsis, Spiritus Sancti præsidio, universis, erroribus, Catholica veritas perspicua & illustris fieret, ut loquitur Sacra & Oecumenica Tridentina* Synodus: texemus nos illud, quantum in nobis est, *lignis cedrinis*, incorruptis videlicet Scripturæ Sacræ, SS. Patrum, Conciliorumque doctrinis, ac præcipuè doctoris Angelici dogmatibus, quæ jurè MINIMÈ PœNITENDA in titulo diximus, utpote Pontificis oraculo TUTISSIMA juxta & INCONCUSSA, quibus proinde securè superstruitur fori pœnitentialis praxis solida.

*Sess. 14.
in init.